

## CAPUT III.

## DE QUIBUSDAM AFFECTIONIBUS ACTUS FIDEI.

## ARTICULUS I.

QUALIS FIDES NECESSARIA SIT NECESSITATE MEDII AD JUSTIFICATIONEM ET SALUTEM?

213. *Nota.* Inter fidei affectiones ejus *necessitatem* ac *oppositionem* referimus. Fides potest intelligi vel *stricte* vel *late*: *stricte* sumpta nititur revelationi divinæ formali, qua Deus libere loquitur et testatur aliquid ad extra: *late* sumpta vocari potest quæcumque illustratio supernaturalis, aut assensus, qui nititur revelationi divinæ solum virtuali, qua Deus quasi virtualiter loquatur per creaturas quascumque, quatenus hæ indicant divinas perfectiones juxta illud Ps. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Præterea fides spectari potest formaliter et in actu aliquo, vel tantum virtualiter ac in voto. Quæritur itaque 1°. an fides, quam alibi jam ostendimus esse medium necessarium ad salutem, sit *stricte* aut *late* sumenda? 2°. an fides ipsa formalis et in actu requiratur, vel sufficiat ejus *votum* seu in alio. Quod fides debeat esse actus *internus* et *supernaturalis*, per se patet.

214. *Dico I.* Fides ad salutem necessaria debet *stricte* sumi, nec sufficit fides *late* accepta. Patet ex prop. ordine 23. ab INNOCENTIO XI. damnata: *Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo, ad justificationem sufficit.*

*Prob. I.* Fides, sine qua Apostolus ad Hæbræos 11. dicit impossibile esse placere Deo, ab eodem anteccedenter definitur *sperandarum substantia rerum, et argumentum non apparentium*, ac postea asseritur fuisse in Patriarchis, operatamque esse justitiæ opera et præmia: sed hæc de sola fide *stricte* sumpta intelligi possunt, et ibidem etiam additis revelationibus declarata sunt; ergo.

*Conf.* Tridentinum Sess. 6. c. 6. pro dispositione ad justificationem requirit fidem, qua credantur ea, *quæ divinitus revelata et promissa sunt*; simulque addit: *De hac dispositione scriptum est, accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit*; ergo patet tum ab Apostolo, tum a Concilio fidem *stricte* sumptam medium necessarium haberi.

*Prob. II.* Assensus existentie Dei præstitus ob testimonium creaturarum, est assensus *scientiæ*, non vero *fidei*; tum quia pro motivo habet solam connexionem creaturarum cum Deo: tum quia, producto etiam hoc uni-

verso, ex quo relucet divinæ perfectiones, potuit per illud suam auctoritatem, quam in loquendo habet, interponere vel non interponere, cum etiam *virtualiter* loqui ipsi sit liberum; quod autem eam interposuerit, ex creaturis intelligi nequit: tum quia hæc ipsa locutio *virtualis* per creaturas est solum metaphorica, et improprie sumpta, et ne quidem ejusmodi, qualis sit per miracula in confirmationem veri edita; cum creaturæ non producantur a Deo tanquam signum præcedentis loquelæ, sed solum ut manifestatio materialis suæ omnipotentie; ergo non est fides ad salutem necessaria.

*Conf.* Dum Trid. Sess. 6. c. 8. Concilia et Patres secutum, fidem vocat initium salutis, fundamentum et radicem omnis justificationis, illam non statuit tanquam dispositionem mere passivam, et prævie requisitam, sed tanquam *meritum de congruo*; ut patet tum ex timore, spe, amore, aliisque dispositionibus ibidem c. 6. fidei adjunctis, quibus omnes rationem meriti tribuunt: tum quia alias auxilium supernaturale prævium ad fidem potius dicendum erat initium, radix et fundamentum: tum quia nec commendanda a Concilio fidei libertas fuerat, ut tamen c. 5. et 6. factum: sed sola fides *stricte* dicta, utpote obscura, potest esse libera, et habere rationem meriti de congruo; non vero fides *late*, quæ cum sit evidens, nec libera, nec meritoria esse potest; ergo.

215. *Dico II.* Eadem fides debet esse *formalis* et actus reipsa elicitus, ita ut non sufficiat ejusmodi actus solum *in voto*.

*Prob.* Si formalis actus fidei *stricte* sumptæ non foret necessarius ad salutem; ergo fides *late* talis posset illi æquivalere, ac illius defectum supplere: sed fides *late* dicta talis naturæ et efficacie non est; ergo. *Maj.* patet a paritate de Baptismo et Sacramento Pœnitentiæ, quæ ideo dicuntur *in voto* duntaxat necessaria, quia illis æquivalent quoad efficaciam, et eorum defectum supplere possunt amor et contritio perfecta. *Min. prob.* Si fides *late* dicta posset supplere defectum fidei *stricte* talis, illud haberet vel ex ordinatione divina, vel ex ipsa sui natura: sed ex neutro capite illi hæc vis convenit; non enim ex *primo*, quia nullibi Scriptura hanc illi efficaciam asserit; neque ex *secundo*, quia omnis etiam supernaturalis cognitio, ex creaturis hausta de Deo, solum est de eo ut auctore naturæ; adeoque fundare nequit amorem amicitie perfectum et justificativum.

*Conf. 1.* Apostolus 1. c. fidei, quam antea dixerat ad salutem necessariam, exempla proferens non alia recitat, quam quæ fuerunt actus reipsa elicitus fidei *stricte* sumptæ. Item Christus, postquam Marc. 16. 16. dixisset: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*; mox subjungit, nihil jam de Baptismo commemorans: *qui vero non crediderit, condemnabitur*; unde colligitur, fidem magis ad salutem necessariam esse, quam Baptismum; ergo licet hic sufficiat *in voto*, fides tamen *in voto* non sufficit.

*Conf. 2.* Si fides *in voto* sufficeret, sequeretur fidem omnium articulorum esse æqualiter necessariam; fides enim *in voto* virtualiter et implicitè extendere se debet ad omnes omnino articulos: sed fides de omnibus articulis non est æqualiter necessaria; quia pauca sunt necessaria necessitate mediæ, alia vero primario, alia secundo præcepta.



216. *Obj. cont. 1<sup>um</sup>.* Ad Rom. 10. 17. fides vera habetur *ex auditu*: sed ad fidem ex auditu habendam sufficit testimonium virtuale per creaturas; quia, quæ David Ps. 18. de cælis et firmamento v. 5. dixerat, eadem hic assumit Paulus v. 18. dicens: *Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*; ergo.

R. N. m. *Ad prob. D.* Quæ David de cælis et firmamento litteraliter dixit, eadem Paulus assumit allegorice de Apostolis et Evangelii Prædicatoribus C. usurpat litteraliter de cælis ac firmamento N. Usurpationem allegoricam cum S. Aucstr. aliisque Patribus communius asserunt Interpretes, et argumentum hujus capituli exigit; cum Paulus ibidem loquatur de fide in Christum et Evangelii, quæ certe ex testimonio creaturarum hauriri nequit.

*Inst. 1.* Apostolus Act. 14. 16. *Non sine testimonio*, inquit de Deo, *reliquit se ipsum, benefaciens de celo, dans pluviam et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra*; ergo opera Dei ut auctoris naturæ sunt sufficiens ad fidem testimonium: tum quia CHRYS. in illum textum, *Deo siquidem, ait, tam loquenti, quam mirabiliter operanti æque credere et obedire oportet*: tum quia, secundum probabilem Theologorum sententiam, miracula, etsi tantum sint virtuale testimonium Dei, ad actum fidei movendum sufficere possunt.

R. N. *Cons.* Quia Paulus hic non loquitur de testimonio sufficiente ad fidem *stricte* talem, ejusque objectum creditu necessarium per modum medii, sed de testimonio duntaxat sufficiente ad notitiam vel scientiam de Deo ut auctore naturæ existente; tum quia opera illa, quæ testimonium Dei compellat, prorsus *naturalia* sunt, neque aliter, quam effectus suam causam, h. e. *naturaliter* significant et manifestant; tum quia de testimonio loquitur, quod infideles etiam habent, cum ibidem dicat de Deo hæc operante: *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas*; quibus certe infidelitas positiva universaliter dari nequit, aut negativa in peccatum suscipi posset cum *Baio*, cujus tamen prop. 68. hoc de Christi fide enuntians damnata est.

*Ad prob. 1<sup>am</sup>.* R. D. Deo tam loquenti, quam mirabiliter operanti æque credere et obedire oportet, si mirabilia operatur in confirmationem præviæ revelationis, atque hinc ex intentione fidei eliciendæ C. si sic non operetur N. Deo credere non possumus, nisi ipse libere interponat suam *auctoritatem*, quam *in loquendo* habet; cum igitur per hoc præcise, quod aliquid producat, hanc auctoritatem non interponat, propter effectus præcise a Deo productos eidem credere non possumus.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>.* R. Qui miraculis tribuunt vim intrinsece et per modum objecti *formalis* partialis movendi ad fidem, simul supponunt præcessisse revelationem divinam, in cujus confirmationem ea eduntur; consequenter quatenus confirmatoria revelationis moraliter dici possunt locutio divina iterata, et testimonium Dei virtuale non simpliciter tantum, sed in ordine ad credendam rem a Deo revelatam: simile quid, ex defectu illius suppositi, minime convenit cuicumque productioni creaturarum a Deo ad manifestandam *materialiter* gloriam suam factæ.

*Inst. 2.* Hoc ipso, quod quis ex creaturis cognoscat Dei existentiam et perfectiones, potest prudenter supponere quod Deus revelaverit suam existentiam et perfectiones; sicut ex eo quod quis agnoscat dictamen suæ con-

scientiæ seu rectæ rationis, et sciat id nobis a Deo ut Legislatore inditum, potest certo scire, Deum reipsa aliquid præcepisse aut prohibuisse; ergo et hoc ipso potest quis, vi acceptæ a creaturis notitiæ, quasi *reflexe* etiam credere fide *stricte* dicta.

R. N. A. Vel enim revelatio ejusmodi præcise ex sola creatione prudenter supponi nequit; cum revelatio Dei *formalis* sit nova actio Deo libera, quæque ex novo fine poni potest: vel exinde non potest supponi, nisi probabiliter, et quidem de existentia et perfectionibus Dei duntaxat ut auctoris naturæ: verum nec probabilem notitiam de revelationis existentia sufficere ad fidem, nec fidem de Deo ut naturæ auctore satis esse ad justificationem, alibi ostensum.

*Ad prob. R. Tr. A.* quod de Deo tantum ut Legislatore naturalia præcipiente vel prohibente intelligi potest. N. *Cons.* *Disparitas* est, quia non potest cognosci dictamen conscientiæ obligantis sine cognitione alicujus superioris ac legislatoris, qui mandatum dederit, ut dictum in Tr. de Pecc.; potest tamen cognosci Dei existentia et perfectio quæcumque naturaliter cognoscibilis ex effectu creato, quin intelligatur Dei revelatio circa ejusmodi prædicata.

*Inst. 3.* Stante sola fide *late* tali, vel homo potest Deum super omnia amare amore perfecto amicitæ, vel amor amicitæ *stricte* dictus non requiritur ad justificationem; postremum enim nec exigitur *ex ordinatione divina*; cum hæc ad justificationem nihil exigit, quam quod ex natura rei requiritur: nec etiam exigitur *ex natura rei*; cum vi hujus sufficiat amor Dei supernaturalis et appetitivus super omnia, utpote per quem modo supernaturali Deus præponitur omni creaturæ, sicut per peccatum mortale fuit postpositus; talem autem amorem posse provenire ex fide *late* tali, colligitur ex S. Aug., L. 10. Conf. c. 6. dicente: *Cælum et terra et omnia quæ in eis sunt, ecce undique dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles*; ergo.

R. N. *utr. p. Ant.* Cum enim ex dictis liqueat, amorem amicitæ perfectum erga Deum haberi non posse, nisi ex fide de Deo ut remuneratore supernaturali, fides autem *late* dicta de eo esse nequeat; sequitur, stante sola fide latius accepta, homini hunc amorem non competere. Amorem vero amicitæ ad justificationem extra sacramentum requiri dicimus imprimis *ex ordinatione divina*; quia ex hac, secundum Apost. ad Hebr., impossibile est placere Deo sine fide *Dei remuneratoris*; adeoque cum illa fides ordinetur ad amorem Dei, sicut necessaria est fides de Deo, ut benevolo remuneratore et amico, sic etiam amor amicitæ exigitur. Deinde etiam asserimus *ex natura rei* necessitatem talis amoris ad justificationem: cum enim ista formaliter consistat in jure filiationis Dei adoptivæ et amicitæ, hæc autem in possessione Dei amicabili; consequens est, amorem ferri debere in Deum ut benevolum tali benevolentia amicabili, ut justificationem de congruo amor ille *per se* mereatur. Hinc

*Ad 1<sup>am</sup> prob.* R. N. Ass. et ex ratione adjecta potius infertur contrarium.

*Ad 2<sup>am</sup> prob.* Rationem D. Ex natura rei sufficit amor Dei supernaturalis et appetitivus super omnia, qui sit amicitæ C. qui sit concupiscentiæ duntaxat aut simplicis benevolentæ N. quod de peccato additur, pugnat pro nobis; sicut enim mortale est *per se* violatio amicitæ divinæ, sic ad



illud abolendum *per se* requiritur amor amicitiae. Porro S. Aug. loqui duntaxat vel de amore Dei naturali, vel de supernaturali quidem sed imperfecto concupiscentiae aut benevolentiae, colligere licet ex verbis l. c. mox sub-junctis: *Altius autem tu misereberis, cui misertus eris, et misericordiam praestabis, cui misericors fueris: alioquin caelum et terra surdis loquuntur laudes tuas.*

*Inst. 4.* Ante actum fidei *stricte* talis potest elici pia affectio credendi super omnia firmiter, quae divinitus revelantur: item, ex sola fide *late* tali potest quis elicere actum attritionis, et cum ea suscipere sacramentum Baptismi, sicque justificari sine omni actu fidei *stricte* acceptae; ergo et amor perfectus potest elici ante fidem rigore dictam, et sine ea obtineri justificatio.

R. *Quoad 1<sup>um</sup>. N. Cons. Disparitas* est, quia *pia affectio* credendi pro suo motivo formali habet solam honestatem, quae in eliciendo actu fidei propter revelationem divinam elucet; unde haec sufficienter dirigitur per motiva credibilitatis, et iudicium prudentiae supernaturalis: *amor amicitiae divinae* perfectus autem pro motivo formali habet Deum ut benevolam et amicabilem remuneratorem; cum vero Deus ut talis nequeat cognosci ex creaturarum testimonio, sed ex revelatione divina, fidem *stricte* talem ex ipsa rei natura requiri ad ejusmodi amorem sponte sua consequitur.

*Quoad 2<sup>um</sup>. N. Ant. et ejus supp.*, quod hic casus sit possibilis; tum quia homo ejusmodi non potest elicere attritionem pro justificatione etiam cum sacramento requisitam; eo quod attritio, juxta Trid. Sess. 14. c. 4., debet esse conjuncta cum spe veniae, haec spes autem regulari a fide *stricte* dicta, qua Deus cognoscatur certo esse placibilis: tum quia nequit habere sufficientem intentionem suscipiendi Baptismum, nisi prius saltem implicite crederet hunc esse remedium salutis, ac consequenter ex fide *stricte* tali notitia Dei ut supernaturalis Auctoris et Salvatoris habeatur. Sunt tamen, qui dicant, adultum ejusmodi solo originali peccato infectum forsitan justificari et salutem nancisci, sed praecise ut haereditatem, ad modum parvulorum.

*Inst. 5.* Licet charitas a SS. Patribus dicatur necessaria ad meritoria opera vitae aeternae, hoc tamen non intelligi debet de charitate *proprie* usurpata, habente pro motivo bonitatem divinam, sed de *latius* accepta, et quae pro motivo habet quamcumque honestatem virtutis moralis ad Deum relatam; ergo similiter, licet ad salutem dicatur necessaria fides, haec de *stricte* accepta intelligi necessario non debet, sed potest accipi vel *late*, vel pro fide praescendente ab utraque ratione.

R. *Disparitas* est, quia tum ipsa Patrum verba et usurpatio charitatis manifeste ostendit aliam quam stricti sensus acceptionem; tum ipsa rei veritas ac natura probat rationem meriti non charitati duntaxat sed et hominis justis operibus supernaturalibus aliis convenire; e contra a Script. et Patribus, praeter fidem *stricte* dictam, non usurpatur fides alia ex testimoniis duntaxat creaturarum, ac ex iisdem ostensum etiam est, fidem propriam ex ipsa rei natura requiri.

*Inst. 6.* Cornelius centurio Act. c. 10. ante fidem erat *religiosus ac timens Deum, ejusque orationes et eleemosynae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*; ergo etiam ante fidem fuit justificatus. *Conf.* Plures gentiles habuerunt solam fidem *latius* dictam, quia ad Rom. 1. 19. cognoverunt

Deum ex creaturis; et tamen qui eorum Deum pro illa cognitione non glorificaverunt, traditi sunt in poenam suis desideriis, ac *inexcusabiles* ibid. c. 2. dicuntur: qui vero huic cognitioni sunt obsecuti, ea, quae *legis* sunt, fecerunt; ergo ex sola fide *lata* tum poterant bene et salutariter operari, tum etiam meritorie operati sunt, juxta v. 10. et 11. *Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum, Judaeo primum, et Graeco: non enim est acceptio personarum apud Deum*; ergo fides *stricte* dicta non est simpliciter, sed tantum ut facilius aut perfectius obtineatur justitiae apex, juxta illud ad Rom. 1. 17. *Justitia Dei in eo (Evangelio) revelatur ex fide in fidem.*

R. D. A. Cornelius ante fidem in Christum eamque explicitam erat religiosus ac timens Deum C. Ante fidem proprie dictam in Deum existentem et remuneratorem N.

*Ad Conf. R.* Quamvis multi negent, ante *fidem propriam* haberi posse opera supernaturalia, nisi quae vel ex seipsis vel ab operantibus referuntur ad obtinendam fidem, cum Deus det gratias actuales ex intentione obtinendae justificationis adeoque in ordine ad fidem: quia tamen dogma Catholicum est, gratias saltem remote sufficientes dari etiam infidelibus; haec autem gratiae probabiliter constituuntur in illustratione et affectione supernaturali, qua ad servandam legem naturalem infideles excitantur et adjuvantur: hinc D. 1<sup>um</sup>. *Cons.* Ex sola fide *lata* poterant salutariter ac meritorie operari, et operati sunt opera supernaturalia mediate ac remote disponentia ad justificationem C. immediate ac proxime ad justificationem disponentia N. Inde vero 2<sup>um</sup>. *Cons.* falsum esse constat; quod etiam nihil juvatur per textum Pauli, qui loquens de justitia Dei per Evangelium revelata, hoc ipso per fidem, ex qua in fidem revelatur, non potuit intelligere cognitionem ex creaturis haustam, sed fidem V. T. in ordine ad fidem N. T. vel incipientem et imperfectam respective ad fidem proficientem, perfectam et charitate formatam; de quo V. Corn. a Lapide.

Caeterum *ordo* justificationis et salutis a fide *lata* ceptae a quibusdam hic apte statuitur: 1<sup>o</sup>. ubi gentilis ex pulcherrima universi serie naturaliter cognoscit dari aliquem illius potentissimum et sapientissimum auctorem, Deus illum *supernaturaliter* illustrat de obligatione et honestate indagandi existentiam et essentiam hujus auctoris. 2<sup>o</sup>. Si homo huic illustrationi cooperatur, pro illa notitia capiendae orat, facitque quantum in se est, observando legem naturalem nec peccando; vel Deus cursum causarum secundarum ita disponit, ut ab alio homine saltem possit *instrui in necessariis necessitate medii*, vel ministerio angelorum mediate, aut immediate privata ac interna revelatione, in iisdem instruit. 3<sup>o</sup>. Hac instructione supposita, Deus homini dat gratiam actualem ad eliciendum *actum fidei* circa Dei amicabilem remuneratoris existentiam, et subinde ad actus spei ac charitatis seu amicitiae. 4<sup>o</sup>. Posito amoris amicitiae perfecto actu, homo *justificatur*, et a peccato originali emundatur per baptismum fluminis, in tali amore virtualiter inclusum. Hunc statum reliqua consequuntur, quae aliis etiam in hominibus ad perseverantiam et salutem requisita contingere solent aut debent.

*Inst. 7.* Si fides *stricte* talis est absolute necessaria ad justificationem, ergo nullae dantur gratiae nisi per fidem, ac fides est prima gratia, et fons omnium aliarum: sed haec sunt propositiones ordine 26. et 27. *Quesnelli* damnatae in Bulla *Unigenitus*; ergo.



R. D. seq. M. Ergo fides inchoata, initialis et imperfecta esset prima gratia et fons omnium aliarum, ac nisi per hanc nullæ darentur gratiæ C. Fides completa, perfecta et explicita etiam in Christum N. Prioris fidei nomine intelligimus quamlibet Dei cognitionem, si modo *calitus* immissa sit, et tum gratias cum actiones salutares ad fidem sive proxime sive remote disponentes; conformiter ad dicta S. AUGUSTINI, qui hæc et similia L. 1. ad Simpl. q. 2. n. 2. appellat *inchoationes quasdam fidei, conceptionibus similes*. De posteriore autem intelligenda est damnatio prop. 26. et 27. Quod enim *Jansenistæ* docuerant in prop. 5. ab ALEX. VIII. damnata, nempe in Paganis, Judæis ac Hæreticis voluntatem nudam esse ac inermem sine gratia sufficiente; quodque *Quesnellus* in prop. 29. asseruerat, extra Ecclesiam gratiam concedi nullam; hoc ipsum idem et instauravit et repetiit in illis propositionibus allatis, quibus negavit ante fidem in Christum, vel etiam in Deum remuneratorem, dari gratiæ auxilia prævenientia et quodcumque opus salutare.

217. Obj. cont. 2<sup>um</sup>. Fidelis cum sola fide *virtuali* potest elicere actum amoris justificativum; quia non semper requiritur ad actus meritorios elicendos immediate prævia fides *formalis*; ergo et id poterit infidelis; consequenter fides stricte sumpta reipsa et actu non requiritur. Conf. 1. Licet Baptismus et Pœnitentia *formalis* ac Confessio dicantur necessaria necessitate medii, intelligi tamen hæc necessitas potest de iis vel in re vel in voto; ergo idem dicendum est de necessitate fidei stricte talis. 2. Juxta nos nomine fidei in Christum, potest intelligi fides *implicita*, sive in Salvatorem; ergo etiam idem dici poterit de fide in Deum ut amicabilem remuneratorem.

R. N. Cons. *Disparitas* est, quia fides *virtualis*, quam apud fidelem sufficere dicimus, non est fides tantum in voto sed reipsa existens et in actu, licet duntaxat tenui ac ferme imperceptibili, quæ catenus dicitur *virtualis*, quatenus præsupponit formalem expressam et reflexam, ex cujus virtute procedit atque in aliquo effectu perseverat: talem autem apud infidelem reperire non est, utpote qui fide stricte tali semper caruisse supponitur.

Ad Conf. 1<sup>am</sup>. R. N. Cons. *Disparitas* est, quia fidem in voto sufficere, nusquam Scriptura docet, ut tamen significat de Baptismo et Confessione, ubi actibus charitatis et contritionis vim justificandi tribuit, quam neque propter sacramentorum institutionem, et obligationem inde ortam, illis fuisse ablatam ullibi declarat. Præterea, etiam assignari non potest actus alius intellectus, qui fidei *stricte* sumptæ æquivalet, aut vim ejus præstet.

Ad Conf. 2<sup>am</sup>. N. Cons. *Disparitas* est, quia cum fides in mediatorem, *hominem Deum*, cum reliquis proprietatibus ac circumstantiis Redemptoris nec ex natura rei nec ex ordinatione divina ostendatur necessaria, fundamentum est fidem in Christum explicandi de fide *implicita* ac in Salvatorem, ubi illius mentio occurrit et necessitas asseritur: quia vero contrarium probavimus de fide *stricte* sumpta, asserta fidei necessitas male referretur ad fidem *latam*.

218. *Observe*. Fidem etiam necessariam esse ex præcepto, manifeste docemur tum ex ejus necessitate hætenus asserta, tum ex aliis Scripturæ textibus, Eccli. 2. *Qui timetis Deum, credite illi*. 1. Joan. 3. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine filii ejus etc.* Unde ab INNOC. XI. est proscripta

hæc propositio 16.: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundum se*. Item ab ALEX. VIII. hæc ordine 1.: *Homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium*. Porro cum illud præceptum sit duplex, aliud scilicet *negativum*, seu prohibens ne quis fidei mysteriis dissentiat, aut de iis dubitet; aliud *affirmativum*, seu præcipiens ut iisdem veritatibus assensus actu detur; certum est *primum* obligare pro semper, quia nullum est tempus, quo fidei mysteria sufficienter proposita repudiari possint: *secundum* etiam aliquando quidem obligare, liquet ex proxime dictis. Ad tempus vero præcise determinandum facit tum censura ab INNOC. XI. inflicta huic ord. 17. propositioni: *Satis est actum fidei semel in vita elicere*, tum universalis omnium sententia statuens, hoc præceptum sæpius urgere in vita et ratione sui, et per accidens. Nam *per se* quidem videtur urgere 1<sup>o</sup>. cum fides Catholica sufficienter proposita est infidelibus, hæreticis, et iis qui in infantia baptizati rationis usum attingunt: 2<sup>o</sup>. cum gravis contra fidem pulsât tentatio: 3<sup>o</sup>. cum quis in hæresin vel dubitationem voluntariam circa fidei mysteria lapsus est: 4<sup>o</sup>. cum adest probabile mortis periculum. *Per accidens* autem, ubi sine actu fidei præcepta Dei vel Ecclesiæ, ut par est, impleri, aut peccata vitari non possunt; sic, seclusa fide magis aut minus explicita, nec digne quis Deum orare, nec peccatorum in sacramento remissionem consequi potest: sic etiam aliquando tam graves contra spiritum insurgunt motus, ut certo succumbat, qui non a fide robur quaesiverit, repræsentando sibi Deum Judicem, qui corpus et animam gehennæ addicat.

## ARTICULUS II.

## QUOMODO OPPONATUR FIDES INFIDELITATI?

219. *Nota I.* Infidelitas triplex est: 1<sup>o</sup>. *Negativa* sive ignorantia inculpabilis rerum fidei, et est in eo, cui fides vel simpliciter, vel sufficienter non est sic annuntiata, ut credere possit et debeat. Hæc quidem peccati pœna est, non autem peccatum, ut ex damnatione Baianæ patet, quæ ordine 68. sic dicit: *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*. 2<sup>o</sup>. *Privativa* est ignorantia culpabilis in eo, qui, quos potuit, discere articulos fidei negligit; vel cui fides sufficienter est annuntiata, ut credere debeat, omittit tamen credere, quin simul positive dissentiat, vel ullum errorem fidei contrarium admittat. Hæc peccatum est quidem contra fidei præceptum, fidei tamen objecto formali directe non opponitur. 3<sup>o</sup>. *Positiva* vel *contraria* antonomastice quasi definitur: Deliberatum ac pertinax iudicium contra aliquem fidei articulum; magis autem *generice* a Card. de Lugo describitur esse peccatum, quod ex objecto suo ita opponitur fidei actuali, ut, quamdiu non retractatur, non possit homo habere voluntatem credendi vero et proprio actu fidei divinæ: atque hoc contingit, quando quis vel *dissentitur* objecto fidei sufficienter proposito, vel assentitur objecto, quod fidei repugnare cognoscit, vel de rebus fidei satis propositis voluntarie *dubitat*, vel deliberate statuit aut omnia aut aliqua fidei objecta *non credere*. Inde autem colligitur infidelitatem *proprie* talem nec haberi in errore *inculpabili*; cum hic peccatum non sit: nec in errore *culpabili* culpabilem